



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Adoratione Eucharistiæ

Boileau, Jacques

Viennæ, 1743

Cap. VI. Argumentum assumptum ex S. Ambrosio, Archi-Episcopo
Mediolanensi, demortuo 4. April. anno Christi CCCXCVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49201](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49201)

CAPUT VI.

Argumentum assumptum ex S. Ambrosio, Archiepiscopo Mediolanensi, demortuo IV. Aprilis, anno Christi CCCXCVII.

I. **C**UM S. Ambrosius in schola Christi S. Augustini doctor ac præceptor fuerit, dubitandi locus non relinquitur, quin discipulus ab eo didicerit, inter partes ac munera hominis Christiani esse cultum & adorationem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia: uti infra ex sententiæ S. Augustini explicatione cap. 10. perspectum habebimus. Verum enim vero sic factur S. Ambrosius libro III. de Spiritu Sancto, cap. 12. p. 403. cujus ætate, Christi in carne adorationem repudiabant hæretici; uti Calvinistæ ætate nostra in Eucharistia adorationem Christi pernegant. *Neque adorandum quicquam præter Deum legimus: quia scriptum est, Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Quomodo ergo adversus legem Pro-*
pheta

pheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quaestio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cælum mihi thronus; terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus IESUS in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino IESU, ut supra diximus, adorarunt.

II. Ex his abundanter patet, eandem carnem in mysteriis adorari, quam Apostoli in Christo inter homines versante coluerunt. At vero nemini homini mentis compoti jam dubium subolere potest, quin Apostoli veram & propriam Christi carnem adoraverint. Ergo in mysteriis veram & propriam Christi carnem adoramus.

III. Quamvis ex mente S. Ambrosii nihil sit adorandum præter Deum, neque adorandum quicquam præter Deum le-

gimus; certum est ex eodem, aliquo sensu adorandum esse scabellum pedum ejus, illudque scabellum debere Deo tam intime conjungi & uniri, ut Deus ipse sit. Quamobrem docet, non esse adorandam terram, quamvis sit scabellum pedum Dei; quippe cum cultus adorationis simplici creaturæ numquam exhiberi debeat: sed per scabellum de quo loquitur Propheta, intelligendam esse carnem Christi, quam Apostoli, dum in terris viveret, adoravere. At vero non adoraverunt Apostoli figuram carnis: non enim Verbum figura carnis factum est, sed vera caro. Quapropter cum ex S. Ambrosio, eandem carnem in Eucharistia adoremus: *Quam hodie in mysteriis adoramus*: hanc carnem revera mysteria suo complexu continent, non in figura; & ei cultum divinum, & veram adorationem soli Deo debitam rependimus, non simplicem venerationem & honorem.